

Za  
5742

THALASSIO

VIRO

*Reverendo & doctissimo*

DN. HEINRICO SIMONICELLARIO ROTLEBIENSIIUM PASTORI, V. Rev. ac C. L. Dn. FRIDERICI CELLARII, SUPERINTENDENTIS SCHWARTZBURGICI OLIM MERITISSIMI FILIO;

ET

*Virgini lectissima & pudicissima*

URSULÆ,

*Integerrimi ac spectatissimi Viri*

Dn. FRIDERICI BORNIS, QVAESTURAE SCHWARTZBURGENSIS PRÆFECTI OLIM DIGNISSIMI FILIÆ,

XVIII. Februarii REGISSEÆ Sponsis:

*Boni ominis ergo struice metricâ concinnatus & adornatus*

AB

Amicis

Affinibus

Fautoribus

Fratre.

JENÆ

TYPIS WEIDNERIANIS.

1918 ANNO M DC. XII. P 121





I.

Ad Reverendum Dn. Sponsum,  
Affinem.

**V**inclo casta tibi dum jungitur Ursla,  
jugali,  
Quæ consors thalami sit maneatq; tui.  
Conjugium ut sit suave, precor, sint gaudia  
mille,

Corq; unum vobis semper, Et arctus amor.

Henricus Eckhardi, Theol. D.  
& Superin. Schwartzburg.



II.

**B**ellè! auspiciatâ luce faces quatit,  
Amor jugales; cordaq; dissita  
CONCORDIÆ die unit; omen  
Prosperitate beans jugandos!

Concordia adsit candida,  
Discordia absit lurida, } quod precor!

Concordiæ Autor, Auctor une,  
Quod precor, esse ratum jubebis.

*Vet. necessitudinis memor, scribb.*

M. Balthasar Gualtherus, Professor  
Publ. in Salanâ.

*Ringere*





**R**ingere, Censor iners, insani, rumpere, frende,  
 Heus Papa, Romulida bestia seva domus.  
 Heus Papa, vappa, freme, exarde, exagitare furore,  
 Ingenti nisu fulmina bruta cie.  
 Exere vindicta magno molimine robur,  
 Militia exercens arma tremenda tua.  
 En, quod grande nefas, Cellarius ille sacerdos  
 Conjugii socia vota pudica vovet.  
 Cui nuper reverenda manus Doctoris Echardi  
 Sacra ministerii conficienda dedit.  
 Dixerit effrenis Monachus, vos fulmine perdent  
 Pontificis summi jura potente manu.  
 Palles Sponse? Nihil. Nosti hoc; cui Jova benignus,  
 Illi Bulla Papa nulla nocere potest.  
 Tu quodcunq; crepat, quodcunq; minatur, id omne  
 Ridendo ex alto despice, facq; nihil.  
 Fontana lepidam & pulchram de gente puellam,  
 Connubii eterno fœdere junge tibi.  
 Sit tibi conjugium sancti schola casta pudoris,  
 Qua Christi multum mystici amoris habet.  
 Sponsa sit adjutrix studiosa, sit hortus amœnus,  
 In quo succrescat plantula grata DEO.  
 Ursula non tantum thalami sit Nympha pudici,  
 Verum etiam vestra fida columna domus.  
 Sic vos concordēs ambos in amore fovebit,  
 Qui thalami custos dicitur estq; DEVS.  
 Hoc κατάχυσμα meum, Neonymphule, fronte serenâ  
 Accipe, cum Sponsâ vive valeq; diu.

Nicolaus Heider, Pastor & Superintendens  
 Rudolphopolitanus.

A 2

Ergò



**E**rgò *Cellari*, tibi ducitur *Ursula* nupta?  
*Sponsus* & ingrederis vincla marita tori?  
 Collaudo factum. Fidei ditissimus *Abras*,  
 Et *Petrus*, undenùm lausq; decusq; virùm,  
 Nequaquam thalamum detrectavère jugalem,  
 Namque hoc deposcit sanctio sacra DEI:  
 Sed magis hoc laudo, viridanti flore puellam  
 Foedere legitimò quòd tibi jungat Hymen,  
 Cujus erat genitor, multâ virtute coruscus  
 Patriciaq; parens profata stirpe fuit,  
 Immò cui radiant gemini, ceu sidus, ocelli,  
 Et nitidis vernant bella labella rosis.  
 Cui flavicrines, frons lævis, eburnea cervix,  
 Et teretes digiti, candiduliq; pedes,  
 Quam pudor excellens, & vita pudica celebrant  
 Et mores, omni qui levitate carent.  
*Ursula* dicta quidem est, non re, sed nomine Sponsa,  
 Namque *Vrse* similis nil feritatis habet.  
 Est huic molliculum corpus, sub corpore molli  
 Extat molle latus, molliculumq; femur:  
 Si non *Sponse*, mihi vis credere vera loquenti,  
 Tange tuâ hanc *Vrsam*, nocte silente, manû,  
 Omnia reperies quòd sint verissima: Quare  
 Sponse, tuo grator prospera fata toro:  
 Sis felix, circumq; tuum concordia lectum  
 Lædere quam possit nulla querela, volet.  
 Et quando emeritis exhibit cur sibus annus,  
*Ursula* filiolum det tibi fata, precor.  
 Scilicet ut quisquis liquidò cognoscere possit,  
*Vrsa* quòd extiterit non tua *Sponsa*, Vale.

Jacobus Wonna.

*Scilicet*



V.

**S**ilicet Ausonii vitiis licet ebria cunctis  
 Vejovis eructet scommata rafa cohors.  
 Res bona conjugium tamen est, DEVS ordinis huius  
 Autor, & haud osor; quod sacra scripta probant.  
 Vita nec est melior, modo quam cum compare visam  
 Exigere, & socio posse in amore mori.  
 Vita nec est verè, sine compare vivere bina,  
 Vita sed hac vita est, vivere corda simul.  
 Recta TIBI mens est, vita qui cælibis ergò,  
 Pertæsus socium quæris inire torum.  
 Suavia miscentem quam cernis murmura & Ursam,  
 Retia huic merito victus amore struis.  
 Nec mora, mitescens occurret, & aspice IOVA  
 Irruet in casses optima præda tuos.  
 Monstrabitq; viam fontis citò prævia promptus  
 Tu comitare modò; gaudia mille feres:  
 Vtere jure tuò; concessò munere fontis,  
 Vtere vivifici dulcifluidi nimis.  
 Vtere jure tuo, felicibus utere donis  
 Ursæ fontisonæ. Rafa cohors valeat!  
 Vtere sorte tua, grato recreare susurro;  
 Ursula defesso sic relevabit onus.  
 Sunt mea vota; domum pax muniat aurea vestra,  
 Summus & adjiciat omne Gansarèba bonum.

M. Michaël Fischerus.

VI.

**E**cce datur tibi Cellari Fontana; videtur  
 Res equidem primâ mirima fronte mihi,  
 Curat enim quisquis cellam, dulcissima curat  
 Vina magis gelidâ, quam ferè abhorret, aquâ.

A 3

Sed,



Sed, ni fallor, inest faustum, quod comprecor, omen:  
Ut vinum cellâ, fonte redundat aqua:  
Sic, quia conjugium mixtum, tibi læta tuæque  
Christus pro tristi vina refundet aquâ.

*M. Nicolaus Albanus, Ecclesiast.  
Rudelstadii aulicus,*

VII.

**E**rgò volutabro gaudes lutulente suite,  
Sacrilegos Mystas voce furente crepas?  
Fæmineum quia solvit opus, connubia solvit  
Christus, ais Latio porce dicite Jovi:  
Non agnoscis Evæ lapsum, sed conjugis usum  
Damnari grunnis, late Lojola luto,  
Ecce pudicitia statuit solemne trophaum  
Nunc sacer Antistes, ringere? ridet AMOR,  
Hactenus obstupui, quoties metuenda pericla  
Hoc dubio seculo cor subiere meum:  
Quàm tristes memini strages, memini agmina densa  
Plangentum, latè serpsit ut atra lues:  
Immites Faunos, Dryades, & Tethyn utramq;  
Ingemuisse reor, peste gravante domos.  
Plaudito sed mecum vitam quicumq; moraris,  
Aspera mitescunt tempora, Morta fugit.  
Hic vix Laorina triginta vidimus urbe  
Funera, quot Balatro finxerit, ipse sciet.  
Aeterno sit fama DEO, sit gloria CHRISTO,  
Aligeris turmis, qui tegit usq; suos.  
Denuò vox Sponsire sonat, genialibus Hymen  
Flammis hoc nectit peçtorabina die:  
Iamq; bonis avibus Mystes amplexibus ambit  
Lacteolam Nympham, basia fertq; ferens,

*Quàm*



Quàm benè cunèta cadunt, fausto (viden?) omine mistum  
 Fons fundit vinum quo Ganymedis erit.  
 Ergò libet Vatum votis adungere nostra,  
 Difficilis mihi si Musula, CHRISTE fave.  
 Vere secuturo quot floribus Hybla vigebit,  
 Tot bona Conjugibus pronuba Juno ferat.  
 Flagrat ut Obryzo flagrans Hyacinthus in auro,  
 Sic lare sub leto Sponsa decora micet.  
 Balantumq; gregem largo cum fœnore Sponsus  
 Pascat, uti Genitor more Periclis ovet:  
 Tu quantos stimulos, Mystam stipante caterva,  
 Olim pectoribus liquit, Amice tenes:  
 Immemorem benefactorum lux nulla videbit  
 Me Senis emeriti, præmia Jova feret.  
 Fac igitur sancti servas vestigia Patris,  
 Præconovelle doce, dilige Sponse, vale.

M. Joannes Boccius, Leutenbergæ  
 Pastor.

## VIII.

SI licet effari: vitæ est tristissimus ordo,  
 In vacuo solum discubuisse toro.  
 Si licet effari; vitæ est lætissimus ordo  
 Solatur quando blanda puella virum,  
 Ergò piè facis, ô Cellari Sponse, beati  
 Quòd jam sacra parasnectere vincta tori.  
 Scilicet ætatem quisquis sine Conjuge fidâ  
 Transigit, ætatem transigit ille malè!  
 Quæ pia, vir Reverende, queunt in pectore  
 Vota meo, auspiciis apprecor illa tuis.  
 Dii thalamis vestris faveant, tædasq; secudent,  
 Æternâq; ligent pectus utrumq; fide.  
 Interea te Sponse virum præbere memento,  
 Fac proles vocitet te numerosa patrem.

Henricus Landgravius, Pastor Oderstebian. facieb.  
 Bacchus



## IX.

**B**acchus & alma Ceres Veneris quia gluten amicum:  
Cellari, mihi Bacchus eris, qui vina propinet  
Dulcia, nec Sponsa, nisi summè austera, reservet.

Non novi Ursellam: Cereris tamen esse sororem.  
Eckhardo-Fischerus ait: nec sentio contra.

Ursula nostra Ceres, cujus foecundus habetur  
Venter, larga manus; pes multo foenore reddit.

Sic nempe unit amor: sic lento glutine jungit  
Ossibus Ossa, manus manibus: sic oribus ora  
Pectora pectoribus, quò sit solamen in arctis  
Praesidium, turris, spes, magna potentia, rebus.

M. Gregorius Ewald / Facult. Philos.  
Adjunctus.

## X.

**C**ur ita fontanas Cellarius imbibit undas?  
Qui tamen è cellâ promere vina queat!  
Oedipe da causam: Causa est indaginis Ursæ,  
Qua juvat incensum fonte rigare jecur,  
Ursula jam capta est, tutò bibe, nausea abesto,  
Nil habet infecti fons ea, sponsor ero.

vere novo, fiet, factumve, penes te  
ala fit Critici; Non ego censor ero.

M. Georgius Kellner/  
Sponsi Frater.

## XI.

Viro Rever. & eruditiss.

HENRICO-SIMONI CELLARIO,  
Ecclesiastæ in Rotleben &c. S. M. D.

**U**T Tibi, Cellari, scribam Metagrammata poscis,  
ad Festum & thalami Mæg, Meámq, vocas?

Non



Non decet: haut noster cupit hoc verax Amor, ipse  
 scripsissem, & venissem ipse ego sponte meâ;  
 inquam, sponte meâ: nam si, qui nunc fuit olim,  
 & plenè & planè noster adhuc Amor est,  
 Tu cupiasq; velisq; quid, & cupiamq; velimq;  
 ipse, satis per nos scimus uterq; probè:  
 alter-eras ego Tu, Tu-alterq; ego eram, una voluntas,  
 cor unum, nobis mens-animi unica erat,

JENAM Te in primis quum GIESSA remitteret, atq;  
 nos WEIDNERI alerent tecta perita duos.

Verùm, quando ita vis, fiat: Metagrammata mitto, &  
 testes sincera destino Amicitia:

de Me, deq; Meâ poterit spes esse Tibi, sed  
 errans; fors veniam, fors quoq; non veniam;  
 si DEVS, Officium, & Via longa volet veniam, si  
 contrâ, excusatus tùm sat habebor ego.

Interea salve, Neonymphe! à Meq; saluta  
 àq; Meâ Nympham mente decente Tuam.

Pemptas

ANAGRAMMATISMORVM.

I.

Henericus-Simon Cellarius.

En! nil hîc cures malos, Vir es.

**E**rgò sic iterum lepidus puer ille Diones  
 unanimis junxit pectora bina animis?  
 Te nempè, ô fidum, CELLARI, pectus, & illam  
 quam veluti te ipsum (est URSULA nonne ea?)  
 En profut! nil hîcce malos curesq; malorum amas:  
 morsus, queis temnunt nobile conjugium:  
 Profut, & , ut precor, eveniat: Domiducus amantes  
 Vos comitet, multùm Vosq; Favissa beet:  
 Vos servet salvos Hygiëa sacerrima, VOBIS  
 Juno maritalem sternat amica torum.

B

Tùm





*Tum Veneris castus si quid conceperit ardor,  
ut dictum ut factum Persica perficiat.  
Hoc omne eveniat; quum evenerit, optimè ego tùm  
vovi, & CELLARI, jure VIR optimus ES.*

---

I I.

Henrichus-Simon Cellarius.  
Hic, hic Ursulam lenis ornes.

---

**A**ttamen in memorem prius hoc revocem Tibi mentem;  
CELLARI, liceat, nec Tibi displiceat:  
sunt ubi dicta, meis quondam sepelire solebas,  
Tu quæ privatim solus in auriculis?  
sunt ubi verba, olim quæ spargere sæpè solebas,  
quod sit amaror amor, quod sit amare mare?  
quàm citò mutasti mentem! Te quàm citò passus  
astuto Veneris vincier illicio!  
Quantum mutatus! quantum mutatus ab illo es  
in JENÆA qui mecum Academia eras!  
Jam-nunc Tu dixti quod amarum dulciter ambis,  
ac penitras dixti quod mare, Conjugium.  
Quod Te purgabit mare nunc, quas Te dare pœnas  
ob tot nunc coget non proba verba Venus;  
auguror: instituet Venus hæc certè VRSULAM, ut illa  
quum nox quumq; dies Te miserè maceret:  
ac à Te cupiat nunc hoc, nunc postulet illud,  
& Te mancipium sic velit esse suum.  
Verùm age sis: lenis sis hic, hic Ursulam & ornes  
omnigenis, cupiet quas, modò laticis:  
ac aliàs facias, fugiasq; Tua URSULA per Te  
quæ facienda cupit, quæ fugienda cupit:  
spondeo, erit clemens Domina & faciet fugietq;  
quæ facienda cupis, quæ fugienda cupis,

Ursula.



III.  
Ursula.  
Laurus.

**V**erum contra etiam moneam hoc: nolente JEHOVA  
 -nil fieri, immo absq; hoc nos quoq; posse nihil:  
 VRSVLA quod Tua, non Tuum opus, non una voluntas  
 Sufficit, hoc nutus perficit omne DEI:  
 Perficit, & quia Tu LAVRV viridante carebas  
 hanc voluit LAVRVS VRSVLA Mis esse vice:  
 Ergo velut LAVRVS pergratas commovet umbras,  
 VRSVLA sic gratum sit Tibi delictum:  
 atq; velut LAVRVS dulcem respirat odorem  
 VRSVLA sic dulcis, sic sit odora Tibi:  
 atq; velut LAVRVS medicas habet incluta vires,  
 VRSVLA sic curis sit medicina Tuis:  
 atq; velut LAVRVS horrendi est fulminis expers,  
 VRSVLA sit tecum sit sine lite Tua:  
 atq; velut LAVRVS renitescit germine facto,  
 VRSVLA sic multa luxuriet subole:  
 atq; velut LAVRVS vivaci fronde virescit,  
 VRSVLA sic longum floreat & vigeat:  
 Esto hac contentus jam, CELLARI optime, LAVRV,  
 & duplicabit eam quondam etiam Eusebio,  
 ECKHARDO Adfini peperit qua nobile nomen:  
 Quo tangit celebres Solis utraq; domos;  
 Esto hac contentus jam, CELLARI optime, LAVRV,  
 sola Tibi hac placeat, displiceant reliqua.

IV.  
Henricus-Simon Cellarius,  
Ursulam cernis: ini, coles.

**V**erum etiam hoc moneam: capis hanc jure Ursulam, &  
 merces pro studio proq; labore Tuo: (hac est  
 B 2 non



non frustra JENÆ tot prævia tempora vixti,  
non frustra GIESSÆ tot numerasti hyemes;  
Hæc Tua meta, Tua est magnorum hæc pausa laborum,  
CELLARI, est studii hæc finis operta Tui:  
O benè! ini requiem, meritoq; cole Ursulam! ô hanc dum  
cernis, mercedem cernis abunde Tuam.

---

V.

Henericus-Simon Cellarius.  
His salvè! mirè nunc coleris.

---

**F** Allor? an ac alia ac alia est aliàs quoq; merces?  
merces, à summo, non aliunde, DEO:  
hocce juvante novum vidisti faustiter annum,  
officium peragis hocce volente novum:  
Officium: ab Tibi quàm de hoc gratulor: ab! mihi de Te  
quàm sæpè & verè gratulor ipse quoq;  
namq; videbatur licet olim rumpere noster  
ille Amor, & pessum ire sodalitiùm,  
res aliter cecidit, mihi conjunctissimus atq;  
proximus es noviter factus ob officium.  
Salve, CELLARI perdocte, coleris, ameris  
nunc mirè: his salve mercibus atq; diu!  
his salve, ac (summa est voti) ex voto Tibi cedat  
Annus, & officium, connubiumq; recens.

---

**C**ELLARI, Eusebies decus perenne,  
hæc sunt asmata, quæ Tibi sacravi,  
immò quæ potui tot inter acres  
curas scribere: sufficit probasse  
pectus, & veterem probasse Amorem.

En!



En! innubi animo, rogo, capesse,  
me simulque Tui vigore Amoris  
amicissimò amicè amare perge,  
CELLARI, Eusebies decus perenne.

M. Balthasar Thammius,  
Schola Sondershus. Rector.

XII.

Hic placeat Reges, placeat quoque visere Stagnum:  
Mystræ Kelnero Sponsa modesta placet.  
Omnipotens hanc Sponse DEUS dedit optime Spon-  
Hinc meritò solves debita vota DEO. (sam,  
At Tu CHRISTE pios Sponsos, aliosque maritos,  
Juraque connubii casta tuere DEUS.  
Da thalamo præsit Concordia Foetaque crescat,  
Sic erimus summi portio grata DEI.

Affines me valdè novos vidisse placebat,  
Insuper Ekhardum, Doctoris nomine clarum:  
Ac reliquos, triginta annos quos ante recordor,  
Officium vero, impediunt Aëtusque Salani.  
Interea gaude, Sponsamque amplectere Sponse,  
Affinis dilecte mihi, latentur amici,  
Quos Tu cum Sponsa reverenter quaeso saluta.

Fuga nuptialis chronologica hexaphonica 7. Toni regularis  
in Scala Diatonica Syntona, musicis numeris exornata  
post Semibreve in unifono.

$\frac{1}{3}$   $\frac{1}{4}$  1  $\frac{1}{2}$   $\frac{1}{2}$   $\frac{1}{2}$   $\frac{1}{2}$   $\frac{1}{2}$   $\frac{1}{2}$   $\frac{1}{2}$   $\frac{1}{2}$  1  
240. 216. 192. 240. 240. 160. 160. 192. 160. 120. 120. 120.

Herr Christ segne Die Braut neben Breutigam.  
Georgius Quitschreiber/Ecclesiae & Scholae  
Jenensis Musicus.

B 3 ECLOGA





ECLOGA γαμήλιος:  
PINGVAX & CLAUSO,

Corydones transylvaniae:

- C. Unde venis, Pinguax, hyemalia secula barbīs  
qui gestas, viden hęc ut labrum stiria frenat!
- P. Mi Clauso propero Urbe domum, propero atq; caballīs,  
dimidiata dies quando instat, pascere avenā
- C. Opportunus ades, novisti dicere vera  
illa nova, ut Caesar Pragensi occumbit in arce!
- P. Vah Vicine novum hoc vix novi exactius, illic  
templō ast audivi, Gualtheri voce Magistri,  
octiduō lapsō, Sponsos se jungere velle.
- C. Hem Sponsos! illos quō dixit nomine Sponsos?  
forte aliquis civis viduam ducturus, ita ari  
nunc in hiant passim decursō tempore pestis!
- P. Non Clauso: titulō arripui Sponsam esse novellam  
Quæstoris nostri defuncti filiam, & illam  
accipere in Sponsam, magnō Pastore parente  
natum; Pastorem; sic maxima festa futura!
- C. Num verō constat de Sponsi patre tibi met?  
Nam secius tibi sunt exotica cognita multa,  
quando garritis auriga climate Francō  
Rhenanoq; merum lucrosā merce vehentes.
- P. Clarus & heu! charus fuit Hic Pastoribus ora  
Schvartzburga cuuctis, illorum Præsul honorus;  
charior & Comiti seniori, tempore in illō,  
ALBERTO, humectat quā mænia SALA Rudolphi,
- C. Calleo, ubi pulchras CARL-GUNTHER possidet arces,  
grandior ille Comes, Patriæ Pater atq; verendus.
- P. Sic Clauso, magnō hunc Pastorem ego corpore, mente &  
magnanimā ornatum memini benè: grandiloquentem
- Mosera



- Mosem illum audivi sacrâ persapius æde;  
 FRIDRICUM passim KELNERUM turba voca-  
 Ac, ò mi Clauso, similem vix secla rulerunt (bat.  
 Præsuli huic nostrate in climate, clarior illò  
 & Doctore HERCONE fuit, quo Arnstadia clara.  
 C. Clarum DOCTOREM sed nunc CARL-GVNTHER  
 habetq̃  
 urbe illâ celebri, quæ sal coqvit. Eugene nosti?  
 P. Optime Clauso benè est, cantamus & hunc quoq̃, sæpè  
 Doctorem, ECKHARDVS nam dicitur, illeq̃, nostrâ in  
 SINGENA docuit nos Jovæ dogmata, eundem  
 LANDGRAVIÏ ast Gießam abducunt Academiam  
 in Nassam,  
 sed tamen adspexit nos clemens gratia in aulâ,  
 FISCHERVM pago mox concedendo MAGI-  
 STRVM.  
 C. Vah! Vah! sic Pastor. Sponsus Sponsæ ille novellus  
 ad finis deinceps erit & Doctore Echardi  
 Fischeriq̃: trium nam sunt illi ecce sororum  
 (quæstoris nostri natarum triga) mariti.  
 P. Omnia sunt vera, ò Clauso, sunt omnia vera:  
 at cras vel deîn vespere garri plura gelu. urget.  
 C. Vnum exspecta, unum, Pingvax solummodo quæram  
 Pastor hic an nostrò in Comitatu vivit an illo?  
 P. Sponsus hic est Pastor Francohusæ Comitatu;  
 sed nostrò quoq̃, ubi Præsul primarius Eckhard.  
 C. Ergò & eâ urbe docet quæ sal coqvit, atq̃ butyrum  
 Francoum vendit ferclorum nobilem in usum.  
 P. Non ita. ROTLEBII Pastorem agit ille futurus  
 Sponsus, sic cives dicebant Mystaq̃ in æde,  
 hunc pagumq̃, adeò novi ut TE Compatrem habere  
 HANSONEM, matrinam Bryllida: & ELLVM ut novi  
 CVNZO.



CUNZONEM teretum caligarum in tegmine rubro,  
cum quo aurigante. Et vidi Aurea jugera plana,  
vidi & ROTLEBIUM, prope quem Falcpyrgica Rupes,  
quando Northusam scandas, vinum, asserem in urbem  
veximus estivo toties & tempore verno:  
hoc cum Cunzone (audi Cunzo!) pluria garri,  
Rotlebium hic vidit, latissima pascua vidit,  
Northusam hic vidit, Rolandi idolaq; vidit.  
vado ego equum nostrum pascendi, visitor aequè est  
illius terra, audi Clauso equus hinnit ut, audi!

ναὶ Κνασεῖαν Fac.

populari per dilecto ὅτι τάχιστα

M. Samuel Gualtherus  
sacr. litterarum Stud.

Ecce quoq; MI SPONSE  
cultissimum hoc & graphicum epigrammation,  
à M. GOTHO, P. L.  
nuptiis Johannis Fortumani  
scriptum:

JANE, equidem quod res est dicam: omnem hætenus UR-  
Extimui miris usq; ego & usq; modis. (SAM  
Et merito nam quis tutò ausit degere vitam  
Inter tam indomitas corq; animumq; FERAS?  
At si demum hæ sunt, QVALIS tibi contigit, URSÆ,  
certè ego debinc cum ursis optem habitare meris.

Alterius



## XIV.

**A**lterius sic esse cupis, Kelnere, neglecto  
 Antiquo monitu; qui suus esse potest,  
 Alterius ne sit; libertas ficcine tristi?  
 Aurea, tam facili venditur ore, jugo?  
 Sed quid dico jugum? quin sancit, præcipit ipse,  
 Alter ut alterius sit, D E U S, hocce jugo,  
 Quod Kelnere subis: Dum cernis inutile, solum  
 Esse, legis sociam, Sponse legis sociam,  
 Dulcia quæ tecum capiat, quæ tristia tecum  
 Perferat, & vitam condiat una tuam.  
 Sit socia, adjutrix tibi commoda, dulcis, amica,  
 Quam capis; id dō egv jam ne nymphe, fero.

*Gratulationis amicis. ergò*

*J E N Æ faciebat*

M. Benjamin Metzelius Ilmensis,  
 SS. Theol. Studiosus.

## XV.

**S**emita quæ vitæ, via quæ cuiusq; sit, & quid  
 Sæpius obveniat, dicere nemo potest.  
 Scire potest nemo, serum quid convehat, unquam:  
 Quæ minùs optamus multa subinde cadunt.  
 Tela jacit veluti varias librator in oras:  
 Sic nos ceu pilas jaëtat in orbe D E U S.  
 Solus is arbitrioq; suo, fateamur oportet,  
 Successus nostros dirigit atq; gradus.  
 Dicere me verum, possum, te teste, probare:  
 Musarum placuit vita diurna tibi.

C

JENA



J E N A tibi placuit, placuit tibi Gissa, placebat  
Cætera Musarum Castra subire, tibi.  
Abriperis verum ceu velox inde sagitta  
Numinis excelsi nempe vibrata manu.  
O Te felicem, bis terq; quaterq; beatum?  
Munia cepisti munia plura capis.  
Ritè peregisti: Te nunc ROTHLEBIA Mystem  
Divinum cernit, taliter astrapetis.  
Amplius ac peragis: Te nunc Regissea Sponsum  
Commeritum spectat, sic benè cedit onus.  
Grator utriq; sacer praco, fraterq; colende,  
Det Deus officio prospera quaq; tuo.  
Gratulor atq; tibi de SPONSA, Sponse, venusta,  
Quam tibi dat summi provida cura patris:  
Gratulor atq; tibi de SPONSO, Sponsa, venusto,  
Quem dant divino munere, fata tibi.  
Conjugium felix sit vestrum, nomine Christi  
Quod fuit inceptum, quod Triadiq; places.  
Vivite pacifici, longævo vivite nexu,  
Implentes multa, vivite, prole lares.  
Exosita tandem presentis tædia vitæ,  
Cælorum Christo scandite ad astra duce:

Johannes Gerlachius, Scholæ  
Leutenbergensis Moderator, singularis  
amoris ergò F.

Non



**N**on odiosa DEO res est, sed grata supremo,  
 Sacrum Conjugii fœdus inire sacri.  
 Hoc nihil in terris preciosius est, nihil isthoc  
 Munere divino gratius esse potest.  
 Conjugij siquidem DEVS est & fautor & autor,  
 Nec reprobatur sanctum quod benefecit opus.  
 Ipse DEVS sociam primævo primus Adamo  
 In paradisiacis associavit agris.  
 Ergo nimis felix, doctissime Sponse, putandus,  
 Quod summi sequeris jussa verenda DEI.  
 Dum tibi consocias, Jova mediante, puellam,  
 Laudem quæ castæ virginitatis habet.  
 Hac etenim tristes tollet de pectore curas,  
 Hac quoque curabit sedulitate domum.  
 Gaude igitur, nove Sponse; tuamque amplectere Sponsam,  
 Quam decorant pietas, forma, decora, fides.  
 Tuque decus Sponsi, lato de pectore, Sponsa  
 Gaudia duc, talem sis quod adeptæ virum.  
 Cui pietatis amans, Clarius sudavit in arvis,  
 Iam veram multis monstrat ad astra viam.  
 Hic vita firmamen erit, cordisque levamen,  
 Hic erit in dubiis anchora firma tibi.  
 Gratulor ergo tibi de tali, Sponse, Maritæ,  
 Atque precor cæptis prospera fata tuis.  
 Vivite felices animis concordibus ambo,  
 Nec turbent vestrum jurgia multa torum.  
 Vivite uterque diu, producite lucis in auras  
 CELLARIOS teneros, CELLARIAS teneras.  
 Quod superest, Dominum cæli terraque potentem  
 Assiduus precibus posco rogoque meis:



*Vt post exacta mortalia tempora vita,  
Sponsus cum Sponsa, regna beata petat:*

Distichon

*Annum, Mensem diemq<sup>3</sup> nuptiarum continens:*

Vt bls nona nltet CœLI LVX FebrVI ab aXe,  
VrsVLa CeLLarIo Virgo pVDICa Data est.

*Ἐφημίας καὶ ὀλοφιλίας ἕνεκα F.*

Christophorus Sebaldi Uhlsta-  
densis, Sponsi Cognatus.

FINIS.



*Pom. Za 5142*

*QK*



THA  
 Reverendo  
**DN. HEIN**  
**MONICEL**  
**LEBIENSILM P**  
**CL. DN. FRIDERIC**  
**INTENDENTIS SCH**  
 MERITISS  
*Virgini lectiss*  
**U R S**  
*Integerrimi ac*  
**DN. FRIDERICI B**  
**SCHWARTZBURGE**  
 DIGNISS  
 XVIII. Februarii  
*Boni ominis ergo struice m*  
 Amicis  
 Fautoribus  
**J H**  
**TYPIS WE**  
 1918 ANNO



La  
 5742

